rorum nomine peruenerit · cum maiorem in uita propriam dile-
xerint illos quasi a societate hominum delendos, et in
ultionis cruciatu uelut perniciosos, et inutiles ciues
abiciendos putarent · Multi iam in hac re publice
scelerati liberi sapientia patrum uarijs supplicijs dap-
nati sunt · cuius rei exemplum est · primus iudex libertatis
Brutus qui conscios coniurationis filios necari
iussit · Item et Cassius · qui filium affectantem imperium
populi romani · uberius Cassium interfici mandauit · Deinde
manlius torquatus ciuis uir clarissimus · qui cum
filius eius decius silanus de pecunijs repeten-
dis apud senatum accusaretur · solus cause cognitionem
suscepit · postea composito carmine ita de filio pro-
nuntiauit · Cum silanum uitia diripuisse constat
non iniuria paternis laribus et rei publice munere
et omnium ciuium societate indignum iudico · Deni-
que illum a conspectu meo abire iubeo · Nam neque mos
est optimi patris flagitiosos filios diligere · uerum
abicere ac abhorrere · Nullum ergo beneficijs pa-
ternis meritum in patria debetur · si quod nulla in
eis retinetur paterna uirtus · Sicut enim splendor nunquam
in obscura speculi facie relucet · ita neque in per-
niciosis, aut celeratis liberis maiorum uirtus splen-
dore potest · frustra igitur putas cornelli maiorum glo-
riam in posteris hereditariam facere et nobi-
litatem quasi peculium relinqui · Virtus enim ac uirtutis
socia nobilitas proprio labore queritur · nec cum
uicijs constare potest · Omnis igitur iactancia ista
generis alienam laudem predicat non suam · Et si
sanguinem artus, et uiscera posteri a maioribus
claris accipiant superuacuo illorum uendicant
nobilitatem cuius propria sedes est animus cuius
pars nulla posteris relinquitur · Superiora uero
corpora sunt, et simul cum uita extinguitur /

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 11411, 87r – Bonacursus de Montemagno, De nobilitate (https://fragmentarium.ms/view/page/F-3kka/3381/35765)